e-codices

auxilium. Unde sequitur. Misericordia et ueritas tua semper susceperunt me: hoc est singulariter glorificandum acceperunt. Quoniam circumdederunt me mala quorum non est numerus. hic iam ex persona ecclesiae loquitur quae est corpus eius. Cuemens enim erat. ut postquam dixit ea quae sunt capitis. loquitur et de his quae sunt corporis. Circumdederunt me inquit mala. ut persecutiones exortae ab aduersariis. ut etiam peccata quorum non est numerus. quia nullus potest scire quot modis peccata committantur in cogitatione et opere. his adduntur etiam aliena peccata quae ut consentiendo uel non corrigendo nos reos faciunt: unde et cottidie dicimus. Ab occultis meis munda me et ab alienis parce seruo tuo. Comprehenderunt me iniquitates meae et non potui ut uiderem. Peccatis meis obscurato intellectu qui est oculus mentis quo deus uidetur non potui intueri deum. hoc est ut intellegerem. Amiseram enim cordis munditiam. Haec erat de illis iam de quibus dicitur. Beati mundo corde quoniam ipsi deum uidebunt. Multiplicatae sunt super capillos capitis mei. Exaggerat hoc quod superius dixit. Circumdederunt me mala quorum non est numerus. subauditur caput hominis. nam dinumerata sunt omnia quia nouit arenae maris numerum quique numerat multitudinem stellarum. Et cor meum dereliquit me. Cor id est intellectus mentis per uarias rerum uisibilium formas dispersas dereliquit me. ut solum deum sed neque me ipsum iam possem cognoscere. haec autem omnia ut diximus ex parte eorum qui infirmantur in ecclesia accipienda sunt. Complaceat tibi domine ut eruas me. Vox christi in passione quasi iam instaret. Complaceat tibi domine ut eruas me de scutica persequentium iudeorum. Domine ad adiuuandum me respice. Intende ut me adiuues et in tertia resurrectione glorifices. Et est sensus. Non rego potentiam tuam quam scio indeficientem tantum uoluntatem requiro. Complaceat ergo tibi ut eruas me. quia uoluntas tua opus tuum est. Confundantur et reuereantur simul. Optat illis utilem confusionem ut cognoscentes peccatum suum reuereantur et ad christum conuertantur qui quaerunt animam meam. non ut uenerentur et credant sed ut auferant eam. Conuertantur retrorsum et reuereantur qui uolunt mihi mala. Christus optat iudeis ut conuertantur retrorsum. et qui antea ex aduerso stabant incipiant eum sequi. Tale est et illud quod beato petro dictum. Vade retro satanas me. Ferant confestim confusionem suam. id est non liceat diutius contra me saeuire sed cito recognoscant errorem suum. hinc et alibi dicitur. Imple facies eorum ignominia et quaerent nomen tuum domine. Qui dicunt mihi euge euge. Euge insultantis est interiectio. Aliquando etiam et ulantis illi inquit quibus adulantibus peccantibus. De quibus propheta. Laetantur cum male fecerint et exultant in rebus pessimis. uel qui alios sua dilatione ad peccandum aedificant et dicunt euge euge. id est bene bene. Erubescant et reuereantur. Exultent et laetentur super te omnes quaerentes te: superius sic optauit ut confundantur qui dominum adhuc quaerebant ut animam eius auferrent. Ita nunc econtra optat ut exultent et laetentur qui eum adhuc quaerunt. et sicut dignum est glorificent. et adorent et dicant semper magnificetur. id est non priuatam laudem sed potius dei gloriare quaerant a quo est quicquid est bonum. Qui diligunt salutare tuum. Illos enim iustum est dominum glorificare qui salutare dei patris id est christum diligunt eo quod sicut filii per amorem famulantur. haec autem omnia quae de capite christo dicuntur possunt et ad corpus eius id est ad ecclesiam referre. Ego autem mendicus sum et pauper. Vox christi qui cum diues esset propter nos pauper factus est. Mendicus erat. quia humanitas quam assumpsit totum quod habuit a sumente deo gratia fuit. Sed ne hanc paupertas despiceret subiunxit. Dominus sollicitus est mei. id est ipsi cura est ut per eius gratiam bonis omnibus habundabo. uel omnis multitudo fidelium quae se pauperem cognoscit et superbiae diuitias non habere: gloriatur secura quia pro eo dominus sollicitus est. Adiutor meus et protector meus. tu es deus meus ne tardaueris. Tu es inquit deus meus adiutor in prosperis protector in aduersis. qui me adiuuas ut ad bona quae desidero peruenias. protegis uero ne malorum pondere uictas uocalum ne tardaueris. id est ne differas auxilium tuum et ne diutius et ne aduersis fatigari permittas. hoc autem ad ultimam referendum est tribulationem quae licet futura sit grauissima. Non tamen sic erit diuturna. De qua dominus dicit. Propter electos breuiantur dies. nisi enim breuiati fuissent dies illi non fuisset salua omnis caro.

Beatus qui intellegit super egenum et pauperem.

In hoc psalmo loquitur propheta et docet per elemosinas et opera misericordiae beatum posse fieri hominem: et quia dimitti omnia peccata. Sed attendendum quod dicitur. quod intellegendum super egenum et pauperem dicit esse beatum. ille uero intellegit. qui sola subueniendi intentione et miserandi consideratione tribuit. non causa fauoris ut remunerationis. Siue etiam ille intellegit super egenum et pauperem: qui nouit uilis tantum et dignus dandum esse. propheta

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 86 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos (http://www.e-codices.ch/fr/csg/0312/86)